

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Fecht Paul Friedrich Voegtlin

**De Caelibatu Ministrorum Ecclesiae, Theses Theologicae, Martini Becani,
Iesuitae, Manuali Controv. Lib. I. cap. XIII. oppositae**

Durlaci: Mullerus, 1686

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787862991>

Druck Freier  Zugang



27 E.
A. G.
245 Fav
46 p.
141 C.
ot. C.
A. P.
22 p
96 p.
64 p.
Pr. 50 p
31 N.
272 p.
A. S.
A. H.
A. H.

A. 4 C 52 b. 6.
A. D. B.
A. D.
A. D. C.
A. C.

80.



Fa. 1092 (80)

- In Tomo hoc XXXVII. sunt.
1. Jo. Schmid de Peccato. ad I. III, 4.
 2. — De libro Arbitrio. Jo. VIII, 36.
 3. Seb. Schmid de Script. L. ad 2 Pet. I, 19-20. 21.
 4. D. Damhaueri Althea Sancta sui vindicta.
 5. Jo. Faust prolix. de motione divina c. art. XVII, 28.
 6. D. Georgij Haeberlini fascic. hymna. Cant. I, 13.
 7. Andreas Uvinius ad Psalmum II.
 8. Jo. Schmid de vita Eterna.
 9. Christiani Vogt. Manipulus Thess. Prachiani sub B.
Sicut emam propositarum.
 10. D. Martin Gejeri conformitas Iudeo Papstionis
doctrina de Deo Angelis & homine.
 11. Christoph Laur. Meelholder p. in. de Chilasmo.
 12. Jo. Andr. Quenstedt de Persecutione Venetiorum.
 13. Gabrielis Wedderkopf de Athos Sionianorum.
 14. Michael Foeutsch de Leoum naturalium origine
mens. de. 8.
 15. — De ordine script. prout ea sum. Nat. conve-
 16. & Jo. Fecht de Iudie Controversiarum.
 16. a. — de Trinitate
 16. b. — De Poto Christi
 17. — de Ignatioris Sancione
 18. — de Luyatone.
 19. — De Communione sub utrag

20. —. *Dicitur Fons de Misericordia.*
21. —. *De Sacramentis.*
21. —. *De Vocatione Ministeriorum Ecclesiae.*
22. —. *De Celibatu eorumdem.*
23. —. *De Peccato.*
24. *Hoopoornbeek de Theologie Præcip:*
25. —. *Sancti postulor.*
26. —. *de Tentatione Dei.*
27. —. *De Autoritate Nostri Test.*
28. —. *De Picciate.*
29. —. *De Devotione.*
30. —. *De Meditatione Sacra.*
31. } —. *De Studio verbi divini.*
32. } —. *De Scyphu divinae gratiae.*
33. —. *De Fiducia in Deo.*
35. —. *De Gaudio Spirituali.*
36. —. *De Zelo.*
37. —. *De Christo.*
38. —. *De Ascensione Christi.*
39. —. *De Gloriâ Christi celesti.*
40. —. *De Spiritu S.*
41. } —. *De Providentia.*
42. } —. *De Providence.*

42. } *flora*
43. }
44. }
44. } —.
45. }
46. }
47. }
48. }
49. }
50. }
51. }
52. }
53. }
54. }
55. }
56. }
57. } *gof.*
58. }
59. }
60. }
61. }
62. }
63. }
64. }

42. } Floornbeck de Prædestinationes.
43. }
44. }

44. — . De Sabbatho.

45. — . De Ministerii acceptione.

46. — . De Examinatione Ministeriorum.

47. — . De Corum officio.

48. }

49. } 50. — . De Clericis et clericis virorum vita.

51. }

52. } 53. — . De Foedere carthaginio.

54. — . De mundo.

55. — . Ad Matt. xxiii, 37.

56. — . — . xl, 20. 21.

57. 57. Concilij de Divinitate Script.

58. } 58. — . de Perfectione Script.

59. } 59. — . de Foedere gratiae et vet. ac MT.

60. }

61. } 62. — . de Logionib. Hg et al.

62. }

63. } 63. — . de Natura Illuminationis Christi:

64. }

65. Io. Cocaji de Regeneratione et Respiratione.
66. — De Oblatione Christi.
67. Wettensii. De Unionis Personalis in Christo Forma,
Fine Effectio. etc.
68. — Lutae Gernlein de Forma Unionis Personalis
in Christo.
69. — De Prometatisq. Dei.
70. — De Peccato in Sintimis.
71. Wettensii de Praedest. Donorum et malorum.
72. — Eis et Collegam Syllabus Controversiarum

V.

**DE
CAELIBATU MINI-
STRORUM ECCLESIAE,**

THESES THEOLOGICÆ,

MARTINI BECANI, JESUITÆ,

Manuali Controv. Lib. I. cap. XIII. oppositæ.

Quas

Ex publicis Prælectionibus

Doctoris sui piè de venerandi,

DOMINI

JOANNIS FECHTII,

SS. THEOL. LIC. SEREN. PRINC. MARCH. BAD,
CONSIL. ECCLES. ET CONC. AUL. ILLUSTR. GYMN.
INSPECT. ET PROF. P.

Excerpsit, atque in SOLENNI congressu

Eodem P RÆ S I D E

defendendas proposuit

PAULUS FRIDERICUS VOEGTLINUS,

Durlaco-Marchicus.

Ad diem 31 May horis pomeridianis

M DC LXXXVI.

D U R L A C I ,

Literis MARTINI MULLERI.



VIRIS

Perquam Reverendis, Praclarissimis atque
Doctissimis,

DN. ZACHARIAE BOELTZNERO,

Ecclesiae Patriae Durlac. ad Aedem D. Stephani Comministro
meritissimo & vigilantissimo;

UT ET

DN. MARTINO MAURITIO,

Sellingensium,

DN. JOHANNI WENDELINO SCHÜTZIO,

Eckensteinensium,

DN. JOHANNI MARTINO HALBUSCHIO,

Knilingensium,

Pastoribus fidelissimis & dignissimis,

Dominis Patronis & Fautoribus,

Hoc, quicquid est, specimenis, pro variis, quibus me;
præfertim in concessis primis concionandi exer-
citiis publicis, mastrarunt beneficiis, grato peccato-
re offerre atque dedicare volui,

PAULUS FRIDERICUS VOEGTLINUS.



DE

CAELIBATU MINISTRORUM ECCLESIAE.

THEISIS I.

Ontroversiae in hoc argumento statum ita format *Becanus*, ut quid neget, quidque afferat, difficulter pronunciari queat. Nec enim primò evidens est, si omnes ipsius conclusiones admittantur, quo pacto nobis contradicuntur? Si enim in V.T. Sacerdotes obligati fuerint ad certi temporis continentiam, si Apostoli ex certo consilio & sua sponte continentiam servaverint, si iidem suo tempore Ecclesiæ ministris continentiam suaserint, si eadem continentia Ecclesiastica lege saepius prescripta fuerit, si lex illa Ecclesiastica aliter in Orientali, aliter in Occidentali Ecclesiâ servetur: manebit tamen inconclusa assertio nostra: *sacros ministros, Lutherana præcipue Ecclesia, ad cælibatum nullo justo-legitimoque jure teneri.* Neque enim hæc nostra & illæ *Becanianæ* conclusiones adversa inter se fronte pugnant, ut legenti primo statim intuitu patescit.

II. Deinde, quid hoc rei est: *Apostolos suasisse & decrevisse, ut deinceps Ecclesia ministri servarent continentiam?* Si suaserunt, legem certè & sanctionem nullam dederunt. Quæ enim consilii tantum sunt, ad legis rigorem, ipso vocabulo teste, non adscendunt. Si decreverunt, seu, ut postea semet interpretatur, præceperunt, necessitatem utique cælibatus sacerdotibus imposuerunt. Nec enim, quæ præcepta sunt, sub consilium cadere, in quantum hæc duo sibi invicem opponuntur, possunt, quod ipsimet Pontificii agnoscent. Id adeò verum est, ut in fine tertiae conclusionis *Becanus* necessitatem quampiam cælibatus eà, quæ per legem præcipitur, minorem, & tamen eà, quæ per consilium suadetur, majorem, quod desperatae causæ indicium est, ab Apostolis insinuari comminiscatur. Si enim Apostoli, ut vult quidem *Becanus*, quod tamen falsum esse suo loco dicemus, tantâ vi obligat sacerdotes ad cælibatum, quantâ obligati sunt ad serviendum DEO & non mundo, quantaque tenentur ad sobrietatem, justitiam, similesque virtutes, tum utique necessitate summa, qualis ex Divina at-

A 2

que

que immutabili lege oritur, ad cælibatum adstringuntur, adeoque Divini juris est, ministros Ecclesiæ esse cælibes. Quod cur disertè dicere eru-
buerit *Becanus*, & tamen in mero consilio acquiescere noluerit, aut quid denique velit, alii exponant. Ego non capio.

III. Sed verò quantumvis lucem fugiat *Becanus*, & quantumcumque latebras atque effugia querat, nos tamen nec in iis, quæ vel specie aliqua favere Pontificiorum causæ videntur, ullum ei præsidium esse, lu-
culenter demonstratur sumus.

IV. Prima *Becani* conclusio: *Sacerdotes V. T. jure Divino tenebantur ad aliquam continentiam ab usu matrimonii, præsertim pro illis diebus, quibus DEO in templo vel tabernaculo ministrabant*: partim ambigua, partim dubia est, partim nihil consequentia habet. Ambiguè dicitur, sacerdotes V.T. obligatos Divinâ lege ad alicujus faltem temporis continentiam fuisse. Id enim si de lege DEI immutabili atque in N. etiam T. obligante intel- ligatur, falsum est, nec ullo arguento doceri potest. Si de lege Leviti- ca seu Ecclesiastica, adeò non sequitur, N. quoque T. sacerdotes ad ean- dem continentiam obstringi, ut contrarium rectè inferatur: ergo ad illani continentiam non tenentur, quemadmodum nec ad sacrificandas DEO vaccas obligantur, ad quas maestandas in V. T. jure Divino obligabantur. Vel si sequitur, quod tamen non sequitur: in V. T. obtulerunt vaccas; ergo in N. T. aliud in genere sacrificium offerre debent: tum & eodem modo, nec quidquam aliud sequetur: in V. T. tenebantur ad continen- tiā ab aliquo actu matrimonii; ergo in N. T. ad aliquam in genere con- tinentiam, id est, castitatem tenentur. Quod nos non negamus,

V. Deinde non potest ullo indubitate arguento doceri, sacer-
dotes V. T. obligatos fuisse, tempore functionis suæ ab uxorum usu ab-
stinere. Nec enim allata à *Becano* argumenta sive disertè sive conse-
quenter hoc immotè demonstrant. Illud quidem ocularis inspectio do-
cet. Hoc verò inde patet, quia Exod. XIX, singularis prorsus & extra-
ordinarius actus describitur, à quo ad functionem ordinariam non rectè
colligitur. Sicut non ideò, quia aliquando Moses solvere de pedibus cal-
ceamenta & ita ad locum sanctum accedere debuit, omnibus hoc sacer-
dotibus ordinario officii sui tempore faciendum fuit. Immò summus
Pontifex bis quotidie offerebat, Exod. XXIX, 38. Et tamen generabat
liberos, non disfidente *Becano*. Nec certum est, utrum I. Sam. XXI. de
abstinentia à licto an ab illicito, vel mulierum vel uxorum usu Achimelech
loquatur. Denique si ideò continentia sacerdotibus, tanquam sanctifi-
catio quædam à re immunda, necessaria fuit, quia tempore viciis suæ non
licebat

licebat uxores in atrium templi introducere, tum & abstinentia à propriis ædibus, tanquam sanctificatio quædam à re impura, ob eandem causam necessaria fuerit, necesse est. Quod quam ridiculum sit, nemo non animadvertis.

VI. Denique si totum id, quod incertum est, concedatur, tam non sequitur: sacerdotes V. T. tempore functionis suæ ab uxoribus abstinebant; ergo sacerdotes N. T. semper ab uxoribus abstinere debent: quam non sequitur: sacerdotes V. T. tempore vicos suæ relinquebant domos suas; ergo sacerdotes N. T. nullas unquam debent inhabitare domos. Item; sacerdotes V. T. tempore functionis suæ lavabant vestimenta sua; ergo sacerdotes N. T. singulis diebus & horis debent lavare vestes suas. Itemque: sacerdotes V. T. quoties offerebant, jejunabant: ergo sacerdotes N. T. nihil quicquam unquam edere debent.

VII. Secunda conclusio: *Apostoli servarunt perpetuam continentiam, non quidem ex precepto Divino, sed partim ex consilio Christi, partim suâ sponte ac proposito*; partim incerta est, partim consequentiâ caret. Incerta est, quia ex allegatâ à *Becano* ratione non sequitur, nec alio etiam argu-
mento probari potest. Si enim Apostoli idèo uxores dimiserunt, atque in cælibatu vixerunt, quia profitentur: *nos omnia reliquimus*, quod ipse Christus de domo, de fratribus, de sororibus, de patre, de matre, de uxore interpretatur, tunc sequitur, animam quoque reliquisse, adeoque semet occidisse. Inter ea enim, quæ relinquenda propter Evangelium esse pronunciat Christus, etiam *anima* est. *Luc. XIV, 26.* Nimirum alibi sensum effati sui, quod comparatè id intelligi velit, clarissimis verbis insinuat: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* *Matth. X, 37.* Nec aliter ipsos Apostolos intellectissime historia & Evangelica & Ecclesiastica testis est. Nam & *Matthæus in ades suas Christum recepit. Marc. IX, 10.* Et *Johannes matrem Domini in propria sua. Joh. XIX, 27.* Itaque nec domum, nec omnia sua simpliciter reliquerunt. Quemadmodum nec Jacobus fratrem suum deseruit, nec Petrus amicum suum, aut Paulus penulam in Apostolatu abjecit. Petrus verò *Eusebio* atque *Clemente Alex.* testibus, uxorem suam adeò non reliquit, ut ad supplicium consolandi gratiâ eandem fuerit comitatus. Cæterum *Matthæi XIX, 10.* s. consilium potius quam præceptum dare Christum, cum verba: *Qui potest capere, capiat, non minus videantur præcipere, atque illa: Qui habet aures, audiat, aut: Qui legit, intelligat, incertum est.*

VIII. Jam verò pone, consilium dedisse Apostolis Christum, ut voluntarium cælibatum conjugio præferrent, quo expeditius atque com-

modius munus prædicandi Evangelii in universo orbe obirent ; pone Apostolos huic consilio suapte sponte morem gessisse , Paulumque optasse . ut & alii eo tempore Ecclesiarum ministri , quotidianis persecutionibus obnoxii , istam vivendi rationem , si fieri posset , eligerent : nihil aliud sequitur , quam in simili casu & hodie id faciendum esse . Quis enim non optet , si id fieri posset , vel si omnes id verbum caperent , omnes Ecclesiarum Lutheranarum cis Rhenum pastores , hodie vel cælibes esse , vel si sint , tales manere , ut , si aliorum abire jubeantur , nullâ uxorum liberorumque sarcinâ onusliberè possent migrare ? Ex quo vero ultro sequitur , extra casum illum neque ejusmodi consilium Ecclesiæ ministris dedisse Christum , nec tale quid iisdem hodie faciendum esse .

IX. Tertia conclusio : *Apostoli & suaserunt & statuerunt , ut alii deinceps Ecclesia ministri servarent continentiam , infirmis nititur fulcris , nec vim ulterioris consequentiæ ullam habet . Vide enim consequentiarum monstra , etiam pueris ridenda ! Episcopum oportet esse continentem , id est , abstinentem ab uxoribus , ut D. Hieronymus rectè interpretatur . Illud : id est , per aliud : id est , solvitur : Episcopum oportet esse continentem , id est , abstinentem à meretricibus & concubinis , ut D. Chrysostomus rectè interpretatur . Porro : Nemo D E O militans implicat se negotiis secularibus , adeoque nec uxoribus . Cur non additur : adeoque nec familiarum curæ , adeoque nec provinciarum regimini ? Et quod omnibus Christianis , fatente Bellarmino , injungit Apostolus , id solos clericos obligare non potest . Item : Abstinendum est ab uxore , quoties orandum est : sacerdoti autem perpetuò est orandum . Quidni & eodem modo argumenteris : abstinentium est à cibo potuque , quoties orandum est , sacerdoti autem perpetuò est orandum ? Utrumque enim habet Apostolus . Aut : abstinentium est ab uxore & jejunandum , quoties oramus : omnibus autem Christianis , non solis sacerdotibus , indesinenter est orandum . De canonibus vero Apostolorum , in quibus aliquid etiam præsidii ponit Beccanus , ita Isidorus : *Canones , qui dicuntur Apostolorum , nec ipsa sedes Apostolica recepit , nec sancti patres illis assensum præbuerunt .* Quare & Apocryphis à Gelasio atque Gratiano accensentur .*

X. Quod si concederis , sualisse atque statuisse Apostolos , ut alii deinceps Ecclesiæ ministri servarent continentiam , primâ præcipiè gravissimarum persecutionum ætate , atque eo tempore , quo Sacra menta contrahant & in ministerio occupati sunt sacerdotes , (in quo casu ad Apostolicum atque antiquitatis morem , his ipsis utens verbis , provocat Concilium Carthaginense secundum) non tamen sequitur , vel universaliter omnibus

bus hunc morem vel omni tempore observandum continebantur; cum aliquot à Christi nativitate seculis subinde Ecclesiæ Doctores, & doctrinâ & meritis clari, qui in conjugio nemine reprehendente vixerunt, extiterint, eoque Ecclesia censuerit, nullâ se Apostolicâ lege ad cælibatum, (cujus violatio hodie ob solam Ecclesiasticam legem capitalis est) teneri.

XI. Quarta conclusio: *Continentia, quam Apostoli ministris Ecclesia prescriverunt, statim in Ecclesia servata est, ac postea etiam lege Ecclesiastica, non semel, sed sapienter prescripta*, partim ambiguitate decipit, partim consequentia destituitur. Ut enim absurdum est, Apostolos cælibatum ministris non nude sualisse, nec etiam lege mandasse, & tamen prescriptisse: ita simili ambiguitate laborat, cum afferit *Becanus*, continentiam in Ecclesia statim servatam & postea sèpius prescriptam esse. Quâ Apostoli primis Christianorum ministris, ob quotidianarum persecutionum atrocitatem nullibi securis, optimo consilio cælibatum & continentiam suaserunt, eatenus etiam in primâ Ecclesia servata illa fuit. Non fuit servata tanquam virtus, voluntati & sanctitati Divinæ, præ conjugio, præcipue in ministerio Ecclesiastico, conveniens. Id enim quo indicio probabunt Pontificii? Quod tamen maximè probandum illis est, si quidquam contra nos obtinere cupiunt. Præterea servata est continentia in primævâ Ecclesia à plurimis Ecclesiæ ministris ex libera voluntate, eo præcipue tempore, quo functionem sacram obibant. Non servata fuit ab æquè plurimis, ex eadem libertate, circa omnem Ecclesiæ reprehensionem, eo in primis tempore, quo ab officio sacro vacabant. Denique post aliquot à nato Christo secula continentia prescripta fuit Ecclesiæ ministris lege Ecclesiastica particulârî, primo quidem in ministerio positâ, ut verba Elibertini Concilii habent, & quando sacramenta contrectabant, ut Concilium Carthaginense secundum loquitur, deinde etiam extra functionem constitutis, ut à Siricio & Innocentio Papis, hominibus unis, nec nisi uni Ecclesiæ præpositis, & sequiori ætate ab integris Synodis, factum est, ita tamen, ut illi non tam præcipere quam suadere multis visi sint, quod partim verba ipsa suadendi atque exhortandi innuunt, partim exempla virorum sanctorum, qui eo ipso tempore in conjugio vixerunt, comprobant. Non fuit prescripta ab universalí Ecclesia, cum Græci eandem nunquam receperint, neque lege, ut hodie, piaculari obsequio servanda.

XII. Jam quod consequentia monstrum est: plurimi in primitiva Ecclesia liberè, ob rationes tum cum primis hoc institutum suadentes, continen-



continentiam servarunt, plurimi etiam legi Ecclesiasticae continentiam, (recte, a fecus, adhuc sub judice lis est) vel commandanti vel praecipienti, obsecuti sunt: ergo hodie omnes Ecclesiae ministri, ex inviolabili necessitate, continentiam, tanquam virtutem, ipsorum statui convenientem, & ut *Becanus* loquitur, meritioriam servare debent? *Quin potius cum Aenea Sylvio, postea Pontifice, in contrarium argumenteris: Sacertotibus magnâ ratione ademptum est conjugium, sed majori restitendum.*

XIII. Denique quinta & ultima conclusio: *Lex continentia seu celibatus, semper viguit in Ecclesia Occidental, (nisi quod in quibusdam locis particularibus aliquantulum fuerit neglecta) at in Orientali non item, Lutheranae Ecclesiae doctrinam confirmat potius, quam destruit. Quæ enim lex non viguit in universâ Ecclesiâ, ea particularis est, ea non est sanctio Apostolica, quippe quæ ad omnes Ecclesiastas pertinet, ea non obligat Lutheranam Ecclesiam, quippe quæ perinde sui juris est, ac Ecclesia Italica, Gallica vel Hispanica, nec ab illâ alia Ecclesiâ dependet. Præterea quæcunque lex ante quartum seculum in Ecclesia lata non est, ea non semper viguit in Ecclesiâ, etiam Occidental. At secundum *Becanum* ante Elibertinum Concilium lex cælibatus in Ecclesiâ lata non est. Quamquam enim ab Apostolis partim suasam esse dicat continentiam, partim præscriptam, non tamen audet dicere, lege præceptam. Si enim lege præcepta fuisset sacerdotibus continentia, non potuerint, qui legem illam tum violaverant, in ministerio tolerari, quemadmodum hodie non tolerantur, qui minoris auctoritatis legem, nempe Pontificiam, ducendo uxores, transgreduntur. Græcos verò ante Trullanum Concilium cœpisse differre ab Occidentalibus Ecclesiis, hoc est, matrimonii liberam reliquissim sacerdotibus potestatem, Canon XIII. aperte prodit, qui sic habet: *Quoniam Romana Ecclesia pro canone traditum esse novimus, ut promovendi ad Diaconatum vel Presbyteratum, profiteantur, se non amplius suis uxoribus conjungendos, nos antiquum canонем Apostolica perfectionis ordinisque servantés, (Ecce CCXXVII. Episcopi, cum Imperatore Justiniano, ipsoque Romano Episcopo, qui subscriptis, Romanum cælibatus morem novitatis arguunt, & in conjugio sacerdotibus permittendo ad Apostolicam perfectionem provocant!) hominum, qui sunt in sacris, legitima conjugia deinceps quaque firma & stabilitas esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos, mutuâ tempore convenienter consuetudine privantes. Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui hypodiaconus, vel Diaconus, vel presbyter ordinetur, is ad talē gradum assumi nequaquam prohibeat, si cum legitimâ uxore cohabitet. Sed neque ordinantis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur, se legitimâ uxore abstinentur. Neque ex eo à D E O constitutas & suâ præsentia benedictas nuptias injuriâ afficer cogamur, Evangelica voce exclamante: Qua D E V S conjunxit, homo non separat. Et Apostolo docente: honorabiles nuptias & thorum immaculatum. Tandem in eos, qui Romanum morem præfetunt, pœnam constituit.**

XIV. Concludimus itaque: Quicquid neque Divinâ, neque Apostolicâ legi prohibitum, è contra à D E O atque Apostolis omni hominum generi concessum, ab Ecclesiis verò particularibus sacerdotibus suis, quanquam reclamantibus ex justissimâ causâ cordationibus, veritum fuit, id utique ministris Lutheranae Ecclesiae librum relinqui, & ad hanc libertatem etiam aliarum Ecclesiarum leges, quæ matrimonium prohibent, reformati debent. Atqui conjugium sacerdotum. Ergo.

Tantum:



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn787862991/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787862991/phys_0015)

DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn787862991/phys_0017](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787862991/phys_0017)

DFG





JUSTIFICATIONE.

57

iasticco vel Pontifici competit jus remitten-
e potestativum? A. utrumque contra Pontifici-
onis materia, vel id quod nobis donatur in *De Materiis.*

quo Justi denominamur, sit ipsa *Justitia*
ibutum Dei esse entiale? N. contra *Osiandrum.*

Justificationis materia, adeoque justificet in
soluto & ratione sui *ipsius*, ut ipse credendi
o*justitiae*; non quidem quod talis sit in se,
ulis talis censeatur per acceptilationem: An
Justificationis *instrumentalis*, cui tribuatur hic
tum *organico*, *relativo* & *objectivo*, quatenus
prehendit & applicat subjecto? N. prius:
ocin. & *Remonstrantes.*

Justificet tum *dispositivè* & *meritorie*; tum *ma-*
tivè ut *justitia* inchoata? N. contra *Pontifici-*
eria. *Justificationis* sit *Obedientia* novae vitæ,
ustitia per *gratuitam acceptilationem à Deo*
contra Socin. Anabapt. Remonstr. Coincidit: An
i. *Deo* *consistimus*, in imitatione Christi sita
igelian.

Satisfactio & *Obedientia*, quâ *Justitiae*
is juri nostro loco satisfecit, sit causa materia-

An verò *Beneficium* hoc, tum *Remissionis*
donationis vitæ æternæ, nobis contingat ex
ericordiâ & gratiâ, citra satisfactionem? A.
contra *Socinian.*

Satisfactio Christi pœnalis, quâ, pro peccatis no-
tatione, comminationi illius satisfecit, sit Ju-
stitia materia, sive perfecta nostra ad salutem ju-
stisfactio *ipsius obedientialis*, quâ, tum in reli-
passione suâ, Legis mandata perfectissimè
e omni Legis rigori nostro loco satisfecit, sit
re quidem, sed naturâ tamen, ab alterâ distin-
te *Justificationis nostræ*? Aut, an hæc Obe-
dientia, activa sit istius Beneficii causa tantum

H